

II) *Facies Ecclesiae in his terris militantis, quae nunquam sine impiorum mixtura erit, & universalem emendationem vix sperare patitur.*

III) *Mala & perversa vaticiniorum Prophetarum applicatio, omnia aut secundum nudam literam, quae tamen interdum non minus in Prophetiis exulare debet, aut neglecta litera, ubi servari debebat, secundum sensum figuratum, vel posthabito literali, secundum mysticum, dijudicans, plurima autem, quae aevo Apostolico maxime sunt propria, ad meliora expectanda Ecclesiae fata detorquens.*

§. IV. Quo breviter excusso & debellato praejudicio, finem huic nostro labori imposituri, cum alias plura nonnulla adhuc superessent, fatis me demonstrasse & vindicasse confido: *Novatorum Praejudicia circa Lutheri Reformationem non esse nova, sed ex Scriptis Pontificiorum & Calvinianorum maximam partem emendicata & compilata, & quamvis pleraque vix operosa confutatione digna, ob praesentis tamen seculi genium, qui, quo absurdiora sunt, eo majori applausu eadem recipit, non plane praeteriri debere, imprimis cum per ista totius nostrae Evangelico-Lutheranae Ecclesiae salus & tranquillitas, vel indirecte, vel palam, oppugnetur & infestetur. Quod Aegyptii probrum, ut summum Numen a nostra Ecclesia universa avertat, imo praesentem annum secularem, felicissimum in purioris coetus solatium esse jubeat, a DEO, summo Ecclesiae vindice ac statore, oramus, & Epilogi loco verba Melanchthonis ex Oratione funebri in exequiis Lutheri subjungimus: Semper igitur in omni aeternitate bonae mentes beneficia, quae Deus Ecclesiae per Lutherum dedit, celebrabunt. Et primum Deo gratias agent: deinde & ipsius Viri laboribus multum se debere praedicabunt, etiamsi homines Athei, qui totam Ecclesiam rident, haec κατ' ὀρθώματα judicant esse inanem ludum aut furorem!*

FINIS.

K 3

CON-